



ΕΙΟΨΙΟΝ.



Enstàm barbarà nulla fuit, & tàm ex-
 tràm omnem humanitatis projecta sen-
 um, quæ divinum quippiam inesse ful-
 mini tonitruique, non crediderit. Unde
 divinum quid ab Aristotele: à Persio,
 sacrum appellatur fulmen. Hinc & Pa-
 ganorum plurimi, suis ipsorum Deastris,
 pro symbolo assignavère fulmen. Hetrusci tergeminum, gemi-
 num Romani, Jovi attribuerunt. Unum, quo diurna, alterum,
 quo nocturna jaculetur & evibret fulgetra. Inde Proverbium:
 Procul à Jove, procul à fulmine. Nec aliunde, fabulis in-
 nutrita Græcia vetus, Vulcanum, ignium Deum, armorum-
 que fabrum, summo Jovi fulmina architectari, argutata est.
 Vulcano ad fulmina Jovi preparanda, tres adjudicati famuli.
 Primus Brontes, (βροντὴ enim Tonitru significat) alter, Ste-
 ropes (ἀστὴρ enim fulgur est) tertius Pyracmon (πῦρ ignem,
 ἄκρον cælum vel Saturnum notat) fuit. Virgilius canit:

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro
 Brontesq; Steropesq; & nudus membra Pyracmon.

Quin eò progressa insania, superstitio est, ut velut præsentissi-
 mum venerati Numen, Fulmen fuerint, Russiæ populi, Novo
 gradienses. Quamobrem etiam jugis, ex quercu, conservaba-
 tur fulmini ignis, qui, si socordia vigilum extinctus fortè fue-
 rat, non minores minitabatur pœnas, quàm ille, Vestæ virgi-
 nibus. Tonitru quid aliud, quàm minacissimum divina ira, ja-
 culum?